UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§. 21. Venit tibi. Cum tibi totus veniat, dicit tamen: Dominus his opus habet quia illud ipsum quod accipit, tibi proficit, vt declarat linteum declarat linteum de cœlo descendens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53092

Visual Library

ſuppoſito non à te flagitat, vt te diſponas quatenus in te regnet, eumque vt Regem ſuſcipias, vt illi largus tribuas de bonis tuis terrenis, ſed vt ab illo recipias bona illius cæleſtia, diuina eius dona, eaque in tui beneficium. Hac de cauſa iuſtè condemnabit ſeditioſos, qui noluerunt eum

Luc. 19. 14. recipere in Regem, dixeruntque cum alijs: *Noluimus hunc regnare ſuper nos*: quia tam excellentia dona opeſque cæleſtes recipere contempſerunt, qualia offerebat illis in illis regnando.

X. Regnat Deus in nobis, nobis ad ſalutem. Pſ. 143. 15.

Hæc igitur eſt propria Deo conditio, venire vt regnet præcisè ad regni ſui ſalutem & incolumitatem. Iure merito poteſt Pſalmiſta tale regnum beatum proclamare. *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius*. His conuenienter optimè te quirit Propheta ab vrbe Hieruſalem, vt gaudio tripudiet inſolito: *Ecce Rex tuus venit tibi*: eſt etenim hic Rex verus Deus atque vt talis venit totus tibi Eius aduentus nō eò dirigitur, vt illi tu tribuas, ſed ipſe tibi ſua largiatur dona, gratias, miſericordias, ſeipſum, corpus ſuum, ſanguinē, animam, vitam, merita, Sacramenta. Adeſt vt lucem intellectui tuo infundat, voluntatem afficiat, mundet conſcientiā, peccata remittat, vulnera reparet, infirmitatem corroboret, ius q; tibi tribuat cæli regna poſſidendi O quis ille Rex; liceret hic repetere diſcurſus quos Dominica tertia Quadrageſi. propoſuimus declarāda, duos eſſe Reges qui totum mundum inter ſe diuiſerunt, Chriſtum & diabolum. O quanta in perſonis, in prætenſionibus & operibus differentia Diabolus Tyrannus Rex crudelis, cuius proprium nomen eſt mors & perditio, teſte Iob, omni ſtudio conatur regnū animæ tuæ ſibi conquirere & quid agit? perdit, aufert, occidit perdit gratiam aufert ius ad cælum, vitam occidit ſpiritualem, charitatem ipſis ſtellis chariorem, dona diſperdit Spiritus S quorum quodlibet toti præponderat naturæ creatæ. Quid egit in prodigo illo, niſi facultates eius quas de Patris ſui optimi domo detulerat, conſumere, delapidare, deglutire? Heu quàm crudelis ille Rex, quam ſeuerus ille Tyrannus.

Veruntamen hic cæleſtis Rex *venit tibi* ſua tibi largiturus dona, gratias & ſeipſum: idque adeo perfectè & integrè, vt ſi rem diligentiùs attendas: cum ſit ipſe adeo locuples & primogenitus æternitatis, nihil inuenies quod non voluerit tibi prodeſſe: Angelos ſuos deſtinauit tibi cuſtodes, Apoſtolos prædicatores, doctores tibi magiſtros, Martyres te confortantes, confeſſarios te abſoluentes, ſacerdotes tibi mediatores, ſanguinem ſuum tibi lauacrum, carnem in alimentum, Sacramenta quæ te viuificent, paſſionē ſuam, & tormenta, quæ Patri cæleſti offeras in tuorum criminum indulgentiam. audi Apoſtolum. *Omnia veſtra ſunt ſiue Paulus, ſiue Apollo ſiue Cephas. ſiue mundus. ſiue vita ſiue mors, ſiue præſentia. ſiue futura, omnia veſtra ſunt*. Quis ergo credat ô Miſerrime mortalium, quòd Regi huic in animam tuam deneges ingreſſum, & ſedem figas Regemque in illam admittas diabolum; qui non aliud quam quod latroni proprium eſt, agit, furari, mactare, & occidere? Audi & primæ crede veritati. *Fur non venit niſi vt furetur & mactet & perdat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*. 1. Cor. 3. 22. Ioan. 10. 10.

§ 21. Venit tibi. *Cum tibi totus veniat, dicit tamen:* Dominus his opus habet *quia illud ipſum quod accipit, tibi proficit, vt declarat linteum de cœlo deſcendens*.

PORrò non leuis ex prædictis oritur difficultas. ſi namque Rex hic ea ſola mente venit, vt tribuat, qua ratione ingreſſum ſuum inchoat denotando neceſſitatem & iumenta poſtulando aliena, iubendo illa ſibi adduci, & reſponderi renitentibus: *Dominus his opus habet*? Numquid illi familiare eſt quod à me meam requirat animam, intellectum, cor, opera, verba, imo etiā ipſas meas curas, & cogitationes? nunquid à me poſtulat, vt illi tam perfectè ſeruiam vt ne minimum quidem in minimo ſuo præcepto defectum admittat tamque rigoroſus in illo perhibetur, vt teſtetur Apoſtolus Iacobus, quod licet aliquis omnia ſeruet vnumque tantum tranſgrediatur iacturam incurrat omnium, quæ ex aliorum obſeruatione, ſibi fuerat lucraturus? *Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus* Sic eſt vt ais, quòd petat; Iacob. 2. veruntamen hoc non ſibi, ſed tibi tuoquè commodo. Nō queo ſatis mirari verba illa quæ Dominus olim dixit Moyſi. *Quis det tales eos habere mentem, vt timeant me. & cuſtodiant vniuerſa mandata mea in omni tempore, vt bene ſit eis, & filijs eorū in perpetuum* Perpende ardentiſſimum Dei deſideriū: *Quis det*! hæc ea eſt forma loquēdi, quæ deſideriū explicat anxium & ardens, quò cordis viſcera laniantur. Eo modo deſideriū ſuū David explicauit bibendi aquam de ciſterna Bethleem. *Quis det mihi potum aquæ de ciſterna Bethlehem*. Hac ſimili phraſi pectoris expoſuit anguſtias, dum moritur in peccato Abſalon parricida, dolenter nimis lugens filij ſui damnationem. Deut. 5. 29.

I. Summe flagrat Deus noſtræ ſalutis deſiderio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

2.Reg.23. 15. 2.Reg.18. 33. nam: *Quis mihi det vt ego moriar pro te?* Quænam ſunt hæc, Domine mi deſideria, quæ tanta declaras ſollicitudine cordiſque anxietate. *Quis det?* quid tibi refert homines pollere iudicio, vel eo priuari? vtrum tua ſeruent mandata vel infringant? hoc perpende multa à te requiri: Quandoquidem legis à ſe datæ mandata numerum ſuperent trecentorum, atque hæc velis omnia, nullo excepto, cuſtodiri, idq; in perpetuum. *Vt cuſtodiant vniuerſa mandata mea omni tempore.* Numquid tu illo, qui nullo horum indiges, cum in te ipſo bonorum omnium diues poſſideas plenitudinem? non hæc reſpondet Deus, mihi requiro: nihil enim mea intereſt ſed ipſorum, & eorum agitur emolumentum ac filiorum omni tempore. *Vt bene ſit eis, & filiis eorum in ſempiternum:* vt bene ſit tibi. Animam tuam à te petit in tuam vtilitatem, vt tibi ſuam det gratiam, cor tuum tibi in bonum, vt illud amore ſuo accendat, tuum tibi intellectum vt eum luce ſua diuina colluſtret, tuam tibi voluntatem, vt eam attollas eamque in illo colloces tibi ad quietem, tuam tibi eleemoſynam, vt tibi faciat miſericordiam, tua tibi opera ſancta tibi ad gloriam æternamque beatitudinem. *Vt bene ſit tibi in ſempiternam.* Omnia tibi, tuæ tantùm ſaluti, tuæ beatitudini. Idcircò in hac occaſione iumenta poſtulat atque ea ſibi neceſſaria, non ſibi præciſè ſed vrbi Ieruſalem: etenim hoc illi expediebat eiuſque commodo cõueniebat. Quia quod illi ipſâ vitâ charius valebat, erat ipſum hunc cognoſcere Dominum: atque per hoc manifeſtaba probabatque Meſſiam eſſe promiſſum, ſolemne illud in ſe complens Zachariæ vaticinium, quod præ manibus habemus: idcircò ait: *Dominus his opus habet;* atque in hoc nobis exponit noſtræ myſteria redemptionis.

II. Cur Deus noſtram aſſumpſerit naturam. Statuit Deus venire in mundum nos omnes redempturus, eoque fine noſtram aſſumit carnem & animam ſeu ſpiritum, quæ aſinâ & pullô notabantur. Quâ mente Domine aſſumis quod noſtrum eſt? Numquid nobis veniſti, numquid nobis datus? Numquid tui canunt Prophetæ: *Ecce Rex tuus venit tibi?* Vtique, porrò ad hoc ipſum neceſſe fuit accipere quod noſtrum erat, noſtram humanitatem, corpus noſtrum, carnem noſtram, animam noſtram: quia noſtram operari debebat redemptionem, noſtra in ſe ſuſcipiens peccata, pro iis rogans, pro iis ſatisfaciens pœnaſque tolerans, quales ipſi horum rei pati merebamur.

Hoc autem in natura ſua diuina facere non poterat: etenim illa in ſe nec orare poteſt nec ſupplicare, cum inferior non ſit, nec pati poteſt pœnas aut afflictiones, nec in cruce mori ignominioſâ. Ad hoc neceſſariò noſtra requirebatur natura proprium dolorum, anguſtiarum, mortiſque ſubiectum. Luculenter hoc expreſſit vates Iſaias Cap. 53. in quo ſicut D. Hieronymus aſſerit, magis videtur Euangeliſta, qui tranſacta ſcribat, quàm Propheta ventura prænuntians. III. Vt in ea pateretur. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Iſai.53.4. In mundum veniens notemus quid de nobis accipiat: non aurum noſtrum, non argentum, non opes, non bona noſtra non ſanguinem, nõ vitam, ſed mala ſolummodo noſtra, noſtras infirmitates, dolores noſtros, cruciatus & mortem: hæc etenim ſibi ferenda impoſuit: *Languores noſtros ipſe tulit* O quàm ſignificatiuum eſt illud ipſe quo declarat, quid ſumpſerit ille qui Rex eſt inclytus & Deus infinitus. Non ſumpſit illud quod Reges qui meliora de regnis ſuis ſibi rapiunt, ſed mala eorum. Nemo melius hoc dixerit quàm D. Gregor. Nazianz. D.Gre. Nazia. Orat.1. in Paſcha. „ *Aſſumpſit quod deterius erat, vt det quod præſtantius eſt.* „ *Pauper factus eſt vt nos illius paupertate diuites* „ *eſſemus: ſerui formam accepit, vt nos libertatem* „ *recipiamus: Deſcendit vt euehamur: Tentatus eſt* „ *vt vincamus: Contemptus eſt vt nos gloriâ afficiat Mortuus eſt vt ſeruet: Aſcendit vt ad ſeipſum* „ *trahat humi permolutos in peccati lapſu.* „

Deſiderant nonnulli vt Ciconiæ in turribus ſuis ac templis nidum ſibi componant, vt autem illas aduocent & inuitent nidos illis præſtruunt in campanilibus Eccleſiarum; quia Ciconia auis eſt vtilis: Etenim ſibi rapit non leporem, non cuniculum, non de pratis perdices vt aquila, nec pullos vt myluus, nec gallinas vt bubo, ſed colubros, lacertos, viperas & venenata terræ inſecta: Vnde eam mundare perhibetur, hoc factum agnoſcimus à diuina illa ciconia per mundũ tranſeunte de quo teſtatur D. Petrus. IV. Chriſtus Ciconia omnia mala à nobis in ſe ſuſcepit, vt redderet bona. *Qui pertrãſiit benefaciẽdo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.* Act.10.38. Non enim opes eripuit vt Tyranni Chaldæi nõ auri & argẽti fodinas, vt imperatores Romanorum: non hominum libertatem vt fertur de Babylonis, nec quidquam illis charum aut pretioſum, ſed languores, aduerſitates, cruciatus, mortemque ſuſcepit. Hoc ſenſu teſtatur Euangeliſta Matthæus, impletum hoc vaticinium, ea occaſione quâ Chriſtus à quibuſdam dœmones expellebat, alios leprâ mundabat, nonnullos à paralyſi curabat, & alios à febribus liberabat. Mat.8.16 *Eiiciebat ſpiritus verbô, & omnes malè habentes curauit: vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetã dicentem ipſe infirmitates noſtras accepit,*

& ægrationes noſtras portauit. Hic eſt ille ſenſus verius, & qui ſe oculis noſtris patenter obiicit. Sed huic alius multò profundior additur quem Apoſtolus Petrus indicauit à Propheta nobis declarari, rationē ſcilicet cur Dominus noſtram aſſumpſerit humanitatem: non enim eam aſſumpſit, vtpotè ſibi neceſſariam, ſed nobis ad ſalutem: vt in eâ noſtra omnia colligat peccata, mala, pœnas, tormenta, & mortem quæ nobis omnia meritò erant infligenda: nam in ſola ſua remanens diuinitate, illa non poterat in ſe ſuſcipere. Hoc verbis his expoſuit: *Peccata noſtra*
1. Pet. 2. 24.
ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus, cuius liuore ſanati eſtis.

V. Allegoria de Linteo Petro oſtenſo. Act. 10. 11

Non fallar, ſi dixero ab illo ſpectari quod in cœleſti quadam viſione Deus illi Cæſareæ demonſtrauit: hiſtoriam appoſitè narrat hoc modo D. Lucas. *Aſcendit Petrus in ſuperiora vt oraret, circa horam ſextam.* Factum eſt autem vt orationi vacans, in mentis raperetur exceſſum. Cœlum videt aperiri, & linteum quoddam magnum mundiſſimum & candidiſſimum deorſum deſcendere. *Linteum magnum, in quo erant omnia quadrupedia & ſerpentia terræ & volatilia cœli.* Proponitur hoc Apoſtolo, auditq; vocem ſibi dicentem: *Petre, occide & manduca.* Heu Domine mi, ab hoc me tua miſericordia liberet: ſũt etenim hæc omnia animalia immunda, & legis tuæ decreto reprobata, nec tale quid vnquam comedi. *Abſit Domine: quia nunquam manducaui omne commune & immundum.* O Petre, replicat illi Deus: ignota planè tibi eſt huius lintei virtus: eſt etenim adeo mundum, vt omnia illa animalia, licet horrida & mala ac venenata in illo repoſita, munda ſint & purificata: vt enim talia fierent, in hoc ſunt comprehenſa. *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.*

VI. Hæc Christo appropriatur.

Præclara latent hic Myſteria. Porrò Propoſito noſtro conuenientius eſt illud quod notat Gloſſa interlinealis. Hoc linteum puriſſimum humanitatem ſignat puriſſimam, quam Dei filius aſſumpſit. Hæc dicitur de cœlo deſcendiſſe, non quòd ibidē formata ſit, aut ex parte aliqua cœli compacta, vt falsò nonnulli crediderunt Hæretici: ſed quòd virtute cœleſti, & operâ Sancti Spiritus contexta ſit, in textrina vteri virginalis de ligno incorrupto & limpido puriſſimi ſanguinis viſcerum mundiſſimæ Virginis. Hanc quâ de cauſa Deus aſſumpſit? Vt in illa comprehendat omnia ferocia animalia, & immunda terræ ſerpentia: quia ea mente noſtram induit naturam, vt in illa aſſumeret omnia noſtra peccata, ſordida, peſtifera & indomita, atque oculis diuinæ Maieſtatis execranda, in illam pœnas omnes, reiiciens pro illis debitas: ſuperbiam capiti ſuo iniecit, vt ſpinis perforaretur: Auaritiam pertulit in manibus vt eſſent transfoſſæ clauis: in carne puriſſima ſenſualitates, vt tota flagris aperiretur: iram noſtram, odium & rancorem in corde ſuo vt mucrone lanceæ vulneraretur. Puriſſimum hoc linteum attende, corpus inquam Saluatoris quam horrendis onuſtum pœnis, acerbis doloribus, morteq; triſtiſſima. Eſt hoc ſtragulum in quo Deus *poſuit iniquitatem omnium noſtrûm*, vt ait eodem loco Propheta. Isai. 53. 6.
In illo puriſſimo linteo collecta ſunt omnia noſtra ſcelera vt per eius puritatem ab illis nos ipſi purificaremur. Hoc teſtante D. Petro. *Quia* 1 Pet. 2. 24.
peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus, cuius liuore ſanati eſtis. Habes hic cur corpus noſtrũ, carnem noſtram, noſtrum, ſpiritum, animamque aſſumpſerit: Nobis in commodum, remedium, noſtramq; redemptionem. Vnde ait. *Dominus his opus habet.* Itaque ſi quidquam à te capiat Deus, non ſibi hoc ſumit, ſed hoc totum tibi proficit: vnde ſemper verum loquimur. *Ecce Rex tuus venit tibi.*

Ad hoc autem hic cadit ſolidiſſimum D. Thomæ Doctoris argumentum quo cauſas inquirit inſtitutionis venerabilis Sacramenti, quarum vnam hanc eſſe dicit. *Hoc quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis conſuluit ad ſalutem.* Dicere poſſemus, non videtur quòd Deus aliquid attulerit, aut pro noſtra ſalute impenderit, tantum ex ſe, ſic vt non aliquid etiam aſſumpſerit de nobis: etenim nouimus omnes & fari poſſumus, quòd deſcendens de cœlo noſtram aſſumpſerit humanitatem, carnem, noſtrumq; ſanguinem, quibus ſe veſtiuit & vſus eſt ad opera diuiniora, atque de illis velut veſte quadam gloriatur elegantiori: ſic pſallit Dauid: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Sic eſt vt dicis ait D. Thomas: ſed veſtem illam humanitatis aſſumpſit, vt eam tibi redderet perfectiorem, ad ſalutem, remedium, vitam & gloriæ tuæ beatitudinem. Humanitas noſtra per ſe & ex ſe vix nauci valet. Caro noſtra, noſterque ſanguis, parum eſt quod ex ſe nihil habeat boni, clamante Apoſtolo: *non eſt in carne mea bonum*; Inſuper & omnium malorum noſtrorum eſt ſcaturigo. Per carnem noſtram peccatum contraximus originale: quia ſecundum illam filij ſumus Adæ. Per illam & de illa naſcuntur appetitus & motus inordinati, tantumque rebelles, vt perpetuò bellò ſpiritum

VII. Ratio Inſtitutionis S. Eucharistię, & Incarnationis eadē eſt.

Pſ. 44. 3.

Rom. 7. 10.

Gal.5.17. ritum impugnent. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*, &c. *manifeſta ſunt opera carnis: quæ ſunt: fornicatio, immunditia, impudicitia*, &c. Nulla radix tam peruerſos protrudit pampinos, nullus campus ita pungentes & nociuas germinat ſpinas vt maledicta caro, quæ etiam, crebrò beneque culta pœnitentiis, Ieiuniis, & mortificationibus ſpinis illis moleſtat pungitque ſpiritum hanc ſentientem in ſe maledictionem

Gen.3.18. à Deo inflictam. *Spinas & tribulos germinabit tibi*, &c.

VIII. Carnem noſtram aſſumit Deus vt eam reddat nobis meliorem. Quid agit Deus? noſtrum cupit remedium, atque tantis mederi malis. In ſe hanc carnem noſtram aſſumit, diuinam ſuam illi virtutem communicat, ſibi illam incorporat, eſſe ſuum diuinum illi tribuit, quò fit vt ab omnibus his Zizaniis & tribulis emundetur, caro fiat ipſis cœlis ſtelliſque mundior, atque ipſis Seraphinis multò perfectior, fons & principium gratiarum, virtutum, bonorum operum & vitæ beatitudinis. Caro eſt Deificata, altius multò quàm ipſi Angeli Spiritualizata, atque hoc modo diſpoſitam eam nobis reddit, vt ita noſtra ſit, vt eam comedamus nobiſque incorporemus, & per eam noſtra reparetur, diuinamque vitam

Ioan.6.56. obtineamus. *Caro mea verè eſt cibus*, &c. *qui manducat meam carnem*, &c. *viuet in æternum*: verum eſt, ô mortales, quòd veſtram aſſumpſi carnem, meamque reddidi, *Caro mea*: porrò non eo animo, vt eam mihi omnino reſeruem ſed vt meafacta, & virtute diuina dotata ad vos per me reuenatur, quatenus per hanc veſtra reſtauretur.

IX. Chriſtus appoſitè api comparatur. Eccl.11.3. Appoſitè Chriſtus ſeipſum comparat in multis api, verùm particulariter in opere huic animalculo principali, quàm idcirco, commendat Spiritus ſanctus. In hortum tuum aduolat, floribus inſidet purioribus, roremque ex illis exſugit cœlo deciduum. Nunquid contra illam expoſtulas, quaſi quod tuum eſt hortique tui ſibi diripiat? Porrò nullo iure niteris: quia illud ipſum, quod ex horto ſumpſit, tibi reddit in melius commutatum. Rorem colligit indigeſtum, qui non aliud eſt quam mollis aqua, nullius vtilitatis. Hunc autem ſibi incorporat atque in ſtomacho ſuo digerit & condenſat vt inde mel conficiat ſuauiſſimum, atque in illa diſpoſitione & prærogatiua perfectius tibi reddit in alueari miro opere compoſitum, quo cunctos opificum ſtupefacit intellectus, cum videant tali hoc arte diſpoſitum, vt nequeant ad illud primorum artificum ingenia arteſque conſcendere.

Hoc ipſum diuina illa & argumētoſa apis confecit: Etenim in hortum deſcendens mundi huius, ſuperinſedit flori pulcherrimo & puriſſimo viſcerum Virginis intemeratæ. Inde rorem ſibi collegit puriſſimæ ſuæ carnis, quem ſibi ſic incorporauit, ſic vt illam diuinam reddiderit, eoque extulerit vt diuinum eſſe participarit. *In quo* Coloſſ.2.
inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. O qualiter illam digeſſit & ſurſum extulit: eſt etenim verè caro Deificata, atque Sanctiſſimæ huic communicat humanitati, ſuprema illa & eminentia dona gratiarum & gloriæ: vt non dum illa ſola plura contineat, quàm omnes Angeli, ſed ipſa ſit perennis omnium eorum ſcaturigo. *De cuius plenitudine nos omnes accepimus*: Ioan.1.16
hac igitur forma diſpoſitam doniſque talibus locupletem illam nobis remittit mel factam ſuauiſſimum gratiarum omnium, in admirabili illo alueari ſanctiſſimi Sacramenti, idque tanto præcellens artificio vt nec ipſi primi Seraphinorum intellectus, modum eius intelligant. Hic attende qualiter, *totum quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem*. Conſidera quanta dicatur hoc veritate. *Ecce Rex tuus venit tibi*.

§. 22. *Quidquid à nobis ſumpſit, nobis reddit multo perfectius, id agens quod mulier cum fermento.*

VT autem hoc exponam, in more habeo 68
notare, quod dum legis Euangelium S. Ioannis atque ad illa accedis verba planè myſtica, quæ vt audis, plus æquo eſt, vt in terram cernuus procumbas: *Verbum caro factum* Ioan.1.14.
eſt & habitauit in nobis. Non ibi hæreas, quod ſignificent verbum diuinum, de nobis noſtram ſumpſiſſe carnem, noſtramque humanitatem, quâ veſtitum habitauit haſitque nobiſcum: ſed vlteriùs progredere, illaque his adiunge, quæ idem Euangeliſta ſcripſit inferiùs à Chriſto prolata *Caro mea verè eſt cibus*, &c. *accipite & come-* Ioan.6.55.
dite. Quibus videbis quod licet aliquid ſumpſerit de nobis, hoc fecerit, vt illud ipſum quod à nobis ſumpſit, traderet: hac etenim mente ſumpſit hoc, vt nobis redderet. Hunc credo ſenſum mirabilem illius parabolæ de fermento, quā duo referunt Euang. D. Matth. & Luc. quâ Chriſtus Matt.13.
exponere voluit præclara regni ſui cœleſtis, quod 33.
eſt Eccleſia, Sacramenta. *Simile eſt regnum cœ-* Luc.13.
lorum, fermento, quod acceptum mulier abſcōdit in farina

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN